



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.**

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex  
maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis  
opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè  
explicantur.

**Gavanti, Bartolommeo**

**Venetiis, 1647**

De Semiduplici, & Simplici. 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9500**

plicibus dicitur f vna tantum Oratio, nisi aliqua commemoratio fieri debeat. Alia omnia dicuntur, vt in proprijs Missis assignatum est. Quando dici debeat, Gloria in excelsis, & Credo, inferius ponitur in proprijs Rubricis.

f Vna tantum Oratio. Vide infra tit. 6. de Orationibus, cur vna tantum.

## De Semiduplici, & Simplici. II.

**M**issa de Semiduplici dicitur, quando in Calendario ponitur hæc vox, Semiduplex. Præterea in Dominicis, & diebus infra Octavas. In Semiduplicibus tam festis, quam Dominicis, & infra Octavas dicuntur plures Orationes. vt infra dicitur in Rubrica de Orationibus. g Infra Octavam dicitur Missa sicut in die Festi, h nisi propriam Missam habuerit: in Dominicis vero sicut in proprijs locis assignatur. De Simplici dicitur Missa, sicut de Semiduplici, vt suis locis ponitur.

g Infra Octavam. Octava namque est eiusdem Festi prorogatio, teste Radulpho Tungrensi de Canonum obseruat. propos. 16.

h Nisi propriam Missam habuerit. Vt infra Octavas Paschæ, Pentecostes, & Sanctorum Apost. Petri, & Pauli accidit.

## De Feria, & Vigilia. III.

**M**issa de Feria dicitur, quando non occurrit Festum, vel Octava, vel Sabbatum, in quo fiat Officium B. Mariæ. In Ferijs tamen Quadragesimæ, Quatuor temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiamsi Duplex, vel Semiduplex festum, i vel Octava occurrat, in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis k cantantur duæ Missæ, vna de festo post Tertiam, alia de feria post Nonam.

Missæ de Feria fit mentio in Lectionario Sancti Hieron.

i Vel octava. Idest, dies Octava, \* quidam explicat de quolibet die infra Octavam, ita vt occurrente Feria ex prædictis in die infra Octavam, dici debeant duæ Missæ, de Octava, & de Feria: sed in Missali in Vigilia SS. Petri, & Pauli, quando occurrit in Sabbato (occurrente nimirum S. Leonis festo in Dominica) item & in Vigilia Assumptionis B. V. non præscribuntur duæ Missæ, de Octava, & de Vig. ergo neque in alijs similibus Ferijs erunt dicendæ. Neque dicas, esse casum ijs locis omissum; tum quia in recognitione Missalis notatæ sunt diligentissime, me præsentem, duæ Missæ, quan-

do debent dici, in proprijs locis: tum quia diuersa est ratio inter Festum, diem Octavam, & diem infra Octavam: Festum enim semel accidit in anno; dies Octava est æqualis ferè ritus cum suo Festo, at dies infra Octavam sæpius occurrit, & sine iniuria omitti potest, de qua propria sequitur Rubrica nu. sequent.

k Cantantur duæ Missæ. Idem habetur infra tit. 7. num. 2. qua de re commodius cum de defectibus tit. 11. numer. 7. & seqq.

Duarum autem Missarum de Festo, & de Feria meminit Micrologus de Eccles. obser. cap. 48. & 58. Cur altera post Tertiam, altera post Nonam, dicemus infratit. 15.